

Letter 32: 3 November 1519, Basel, Capito to Albert of Brandenburg

This is the dedicatory letter to Capito's translation of Johannes Chrysostom, *Parainesis prior*, Basel: Froben, 1519. The text of the letter is on pp. 3-10.

Reverendissimo in Christo patri ac principi illustrissimo, Domino Alberto, Ro. Ecclesiae T.T.S. Chrysogoni praesbyteri Moguntinensi ac Madeburgensi, sacri imperii principi electori primati et administratori Halberstatensi, marchioni Brandeburgensi, etc. Wolfgangus Fabritius Capito s.d.

5 Post plurimam salutem, reverendissime pater, illustrissime princeps, eximium ornamentum augustissimi ordinis cardinalicii, duplici nomine beneficium, quod in me contulit principalis tua munificentia, commendatur: magnitudine et felicitate. Cum enim eximium sit quantulumcunque est quod in immerentem collocatur, quantum hoc dicendum quod in eum expenditur, qui pridem neque natus esse sciebatur, quemadmodum celsitudo tua nuper exemplum
10 aedidit memorandae liberalitatis in me plus quam ignotum, et quem paulo ante nesciebas vel vivere uspiam? Equidem descendi Moguntiam, preces, ut vocant, regales ambiturus ad sacerdotium templi Basiliensis, amicis et patronis meis in hoc adhortantibus simul atque adjuvantibus, captavi aditum primo per paternitatem tuam reverendam ut per eam aut insinuarer mox electo regi, aut, ubi petitum aliunde tulissem, ne fores cunctatior id confirmare testimonio,
15 ex quo uno robur earum rerum pendet, quoniam regia scrinia ex veterum constitutione moderaris, quanquam nihil nec de benignitate nec de candore augustissimae tuae magnitudinis unquam dubitarim. Nam praedicatio [gr.] megalodorias tes ses kai tou procheirou katorthomatos mihi haudquaquam obscura fuit iam nunc a sexto ferme anno. Quae quidem non extrema causa, cur pridem avidius Moguntiam peterem. Habet enim suum oestrum egregia virtus, maxime autem quae in stemmata tam vetusta, tam splendida proavis atavisque regibus incidit. Eho, cogitavi
20 mecum, ut nihil succedat, vidisse tamen columen religionis et omnis nobilitatis insigne merx erit abunde magna suscepti itineris. Neque poenitebit laboris, neque impendii. Verum ea temeritas, [gr.] he nepia toiaute feliciter cecidit. Comperi pro carceribus metam, pro patrono principem [gr.] anti tou metepineuontos ton auton euergeten autoremque desyderatae commoditatis ipsissimum.
25 O prosperam novo more fortunam, imo o benignitatem principis incomparabilem! Vixdum audieras, quae per Ulrichum Huttenum et Heinricum Stromerum medicum [gr.] tous enochliountas hyper emou cupiebam a tua illustrissima paternitate [gr.] ektherapeuein, ubi inauspicata quidem intervenit reverendus pater Thomas Caietanus Car. T.T.S. Sixti. Abscedens itaque, aures illi praebiturus, patronis meis respondisti, posse te facile quod illi peterent annuere,
30 verum id parum fore ex re Capitonis, vota haec requirere dumtaxat aulica promissa, quae ferme sunt [gr.] anemolia, sententiam istam tibi constare, quod me sis ceu ministrum aulicum futuro regi nominaturus interque eum numerum, ex quo nemo frustrari possit (sicut duodecim, opinor, nominare certo dedit vel ius vel consuetudo cuivis principi electori), neque ad unum tantum Basiliense sacerdotium, sed ad alterum quoque Moguntinae urbis, de quo nihil unquam in
35 mentem venerat. Adeoque inter tria istic praecipua delectum permisisti. Quod cum referunt amici mei, attonitus haereo, incertus, num tanti viri simplicitati nostrae illudant. Denique ex gestu, ex vultu, ex verbis ipsis colligo, nihil fuci subesse, omnia dici ex praescripto veritatis. Quid tum animi fuisse credis clientulo tuo? Quantum gaudium et rursus quanta tenuit admiratio trepidantem? Quis nam Deus mei (prope dixerim) amorem immisisset principi modis omnibus
40 summo, tacite mecum disputavi. Verum ad me revocatus, exploratum satis ducebam id non factum divinitus, nec miraculo quodam. Etenim satis scio me non tanti esse, ut mei gratia naturae

seriem existimem turbari. Sicut alioqui non admodum largus sum in asserendis miraculis, quae alii nimium libenter, ne dicam impudenter commentari solent, ac asseverare crebra vociferatione, plusquam oracula prophetarum, plusquam literas apostolicas, idque ex suggestu, qui locus unum
45 decet evangelium.

At cui tandem debeo tantam paternitatis tuae reverendae erga hunc homuncionem clementiam? Semel dicam, Musis et Gratiis, non quod mihi admodum consuerint, sed quia pectus Huttenicum, ceu domicilium commodissimum, perpetuo incolunt et in Heinrici Stromeri
50 animum scientem cum primis tum rei medicae, tum Christianae philosophiae, tanquam in diverticulum amoenissimum subinde expatiantur. Quarum fores, quoniam semper patent, nimirum candidissimae, Fabritium hospitem exceperunt, quem et affictis, ut videtur, laudibus vestierunt, ne mea ipsis ruditas vitio foret, [gr.] ten epieikeian Platonis in hoc amplexatae potius quam Augustini severitatem superciliose Stoicam. Is enim piaculum esse pronunciat pro amicali
55 commodis elapsum mendacium; ille autem utiliter mentiri perquam officiosum, utpote peritior humanitatis. Et facile quidem tanti testes tibi principi fidem fecerunt adamanti non solum doctissimum quenque, ut isti tui sunt et Erasmus Roterodamus orbis Christiani decus, quem amplissimis, ut audio, stipendiis toties ad te invitasti, sed et literarum studiosos quanquam infeliciter, hoc est mei similes. Hoc habet peculiare perfecta virtus praesertim literata, ut ex se pleraque dimetiatur. Atque Huttenus noster, qui felicissime institutus a parvulo atque utriusque
60 linguae Veneris aucupatus adhuc adolescens postea vero ab arce eloquentiae facto excursu, qui in omnes artes facillimus est, brevi molestiam iuris utriusque expugnavit, et Capitonem ad se, hoc est, parvam miricam ad modum procerae quercus expendit, candidoque magis quam vero iudicio veram eruditionem cum scientia veteris atque recentioris theologiae tribuit. Nam ut elegantis doctrinae semper fui sitientissimus, ita eam minime omnium consecutus sum, neque
65 potui consequi. Traditus enim sum puer praeceptoribus, qui nihil poterant praeter dediscenda docere, quibus interim mutatis peiores multo successerunt. Quot tempora dedi Tartaretis, Orbellis, Bruliferis, Bricotis? Quot impeditissimo Scoto? Quot iureconsultis, ad rem ut nunc est theologiam [gr.] tout'esti pros t'alphita facientibus? Neque omnino poeniteret operae nisi praepostera fuisset. Barbatus iam et sero, vereor, tento perdiscere quae puerum scire oportuit.
70 Succus ingenii auctorum foecunda lectione alendus periit aridis quaestionum argutiis et nugamentis bis mille obiectus. Conclusionum, corollariorum, propositionum, replicationum spinis, ceu vepribus sua lana ovis, orbatus sum indole, quae quondam non omnino pessima fuit. Haec lubens profiteor, quo illorum natura minime maligna, qui nudum amicum sic adornarunt, et fons benignitatis istius, latissime pernoscatur. Patebit enim omnibus eos tanto amicus tribuere, quo sum cui tribuunt indignior. Atque reverenda paternitas tua tanto largior diiudicabitur, quae non intermittit, licet nequicquam conatum assequi literas propter literas fovere, nedum lumina huius seculi, cuiusmodi illi ipsi [gr.] epainountes emou existunt. Quorum equidem favori neque
75 invitus debeo ac debebo, tum quod me inertem adeo respicis, tum quod indies priora benefacta novis pene beneficiis obscuras, quandoquidem in album tuorum quod anxie vel maximis ambiendum me cupis allectum iri, quasi splendidissimum tum illustrissima maiestate tuae
80 celsitudinis, tum facibus istis ingeniorum, ab his quoque tenebris aliquid lucis accipere posset.

Retulit venerandus ac nobilis vir D. Laurentius Truchses decanus, vir in rebus agendis dexterrimi iuxtaque liberi ingenii, quibus me verbis ipsi commendaras, muneri concionatoris
85 praeficiendum. Tametsi videlicet compertum habeas, quantum mihi illi ipsi faverint, quibus incumbit de subrogando concionatore cogitare, nihilosecius tamen orare te uti, vel tuo impendio, mecum, quo officium adeam, conveniant. Conradus de Liebenstein canonicus, ut vocant, capitularis, vir masculi pectoris atque fidissimi, literis ad me idem prope contestatur, idque

opinor affirmat auditum ex Theodorico Sobellio doctissimo perinde ac nobilissimo viro, qui
90 canonicus et scholasticus metropolitanae istius ecclesiae, reverendae paternitati tuae a sacris
responsis adest. Huttenus denique, praeter adauctum stipendium tolerabili magis magisque
tranquilla conditione conferendum mihi id officii rescripsit ex tua clementia, qui referre certa
potest et solet, quoniam eo a consiliis uteris secretissimis, et longe omnium qui vivunt minime
fucatus est. Tantum potuit opinio probitatis et doctrinae, quam amice hallucinantes aut aliunde in
95 rem meam affingentes tuae celsitudini persuaserunt. Quam bene autem suae interim existimationi
consuluerint viderint ipsi, certe mihi probe consultum est, cui benignitate tam immodica
benignissimum patronum conciliarunt, quem non ita pridem avebam vel de facie novisse, quod et
futurum arbitrabar felicitatis non exiguam accessionem.

Dum haec examino, me subita quaedam exanimat egritudo [gr.] kai aporos amechania
nescio quid urget, ut officio quoquo pacto respondeam. Contra deterret ignorantiae meae
100 deformitas, nam si stilo experiar, parabo plurimos conscios meae imbecillitatis et sterilis huius
venae, quae dum eminus videtur, speciem utcunque praebet alicuius foecunditatis. Verum quia
facultas non feret alia in re ostendisse animum sive gratum sive memorem, consilium est facere
iacturam famae, quae per se exilis est et evanida potius, quam deesse gratiis [gr.] tais ten
amoiben apodidosi. At est impudentius pro veris muneribus meras nugas remetiri. Quid igitur?
105 Solvendo non sum, cedam ergo, si quid est in me boni, totum amplitudini tuae. Quare, maxime
princeps, fastigium nobilitatis et religionis, relictum a me huius ingenioli agellum, quoniam
aliarum rerum summa est inopia, suscipias, quanquam parum feracem, parumque cultum. Cuius
annonam uni celsitudini tuae reponere moliar apud memoriam posteritatis, si qua nostra
dignabitur. Sed ea nulla erit uspiam gentium, siquidem divina quaedam vis post fata duntaxat
110 superest, humana plerunque nobis praemoritur: et mea vereor ne sit longe infra hominem. Igitur
vocantibus iussu tuo parere decuisset Capitonem, et isthic a sacris esse concionibus, atqui
detinuit me sibi fato quodam hac tempestate Basilea, quamvis Moguntiae debitam operam
nondum negavi, distuli tantum, quoad occasio melior negotium obeundum deferret, aptius his
viribus, quas scio recusare labores, aliquando aliis perquam faciles, rursus autem amplecti vulgo
115 reliquo prope intolerabiles. Adeo diversi natura fungimur, et quisque suo fruitur genio.

Valeat dominatio tua reverendissima, maxime princeps, incolumis in Christo Jesu pietati
et literis profutura. Basileae, tertio nonas Novembris. Anno M.D. XIX.